DE
HOMINE LIGIO
VVLGO
Gottes Freund, Aller Welt Feind,



QVAEDAM CONIICIT
ET
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
CONSENSV
VENTILATIONEM PVBLICAM
DECEM DISPVTATIONVM
IN
AVDITORIO PETRINO
HABENDARVM
INTIMAT

ABRAHAM KAESTNER,
V. I. D. ET PRACT. LIPS.

LIPSIAE,
LITERIS GABRIELIS TROGII
CIↃ IↃCC XXXIV.





Eudorum possessores variis nominibus vocari, illis qui ius feudale primis labris tantummodo degustarunt, ignotum esse nequit; Sic *I. feud. 10.* VASSI, a vassatico, VASALLI, FIDELES a fide; *I. feud. 22.* MILITES, a seruitiorum onere SERVIENTES, FAMVLI, a ministeriis variis; (vnde HINCMARVS se vocat *Rom. Eccles.* FAMVLVM, *v. Opusc. de diuortio Lothar. p. 323.* item, PLEBIS DEI FAMVLVM, *p. 325.*) DOMESTICI, MINISTERIALES, de familia &c. a relatione ad adpellationem domini *seu* Senioris, nominantur IVNIORES, vnde IVNGERN, IVNCKERN, *v.* SPELMANN, *Glossar. p. 397.* CASATI, CATANEI, *v.* ALTESERRA. *de Orig. Feud. c. 4.* TRIBVTARII, *v.* MVRCELLIN. *Lib. 28. p. 404.* aliquando CLIENTES, CLIENTVLI, BENEFICIATI, aliquando FEVDATARII a feudo, *v.* VVLTEI. *c. IV. n. 12. in f.* Germanis Manne vel Lehn-Männer, quasi præditi virilitate animoque strenuo & recto, dicuntur; Olim, Vasalli, germanice Knaben, vel KNAPEN dicti sunt, *v. omn.* EYBEN, *El. I. F. c. IX. §. 2. p. m. 598.* Haud raro a Feudistis vasallus etiam simpliciter adpellatur *Homo*, vt igitur *Vasallus Ligius*, & *Homo Ligius* sit vnum idemque. *v.* CLEMENT. *Pastoralis, 2. de sent. & re iudic.* ibi: *Homoque Ligius & Vasallus. v.* EYBEN. *c. l. cap. 9. p. m. 596.* Dicti autem sunt *Ligii*, quod ligatis Reges pollicibus, illos fidei Imperiisque sic suis vinciant atque obnoxios statuant; Rem TACITVS *Annal. Lib. XII. c. 47. n. 3.* sic exponit: *Mos est*, inquit, *Regibus, quoties in societatem coeunt, implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque praestringere: Mox vbi sanguis in artus extremos se effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt; Id foedus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum.* Quomodo eiusmodi vincula *Mithridati*, *Rada-*



Radamisto ex fratre nepote ipsi insidias struente, in perniciem valuerint, idem TACITVS *c. l.* recenset. Hunc ligandi morem apud *Scythas* etiam vsitatum fuisse ex *Luciano* adparet; *Etenim*, scribit, *simul atque incisis digitis sanguinem in calicem destillauerimus, summisque intinctis gladiis, ambo pariter admouentes biberimus, non est quicquam quod deinde nos queat dirimere.* Quamuis vero hodiernis moribus eiusmodi ligandi ac vinciendi modus vix sit in vsu, nota tamen nihilominus est apud interpretes feudi diuisio in *ligium* & *non ligium*; Ligium vocant, ratione cuius vasallus obligatus est ad fidelitatem domino praestandam contra omnes, nullo excepto, *v.* STRVVIVS *S. I. F. c. 3. §. 9.* hinc etiam ortum prouerbium: **GOttes Freund, aller Welt Feind,** quoniam *Homo Ligius*, qui est quasi ὁμόλογος & ἐγχωμαῖος; dominum suum contra omnes defendere tenetur; Vasallus enim proprie & absolute ligius neque subiectionis, neque vasallitica fidelitate vlli alii aeque addictus esse potest. *v.* P.GREGOR. *in Syntag. iur. vniuers. lib. 6. c. 2. n. 28.* Eiusmodi vasallum interdum Ledigium, **Ledig-Mann**, & feudum eius **Ledig-Lehn**, non respectu domini sui, cui vni soli obnoxius est, sed respectu omnium aliorum vocare solent. *v.* HORN. *iurispr. feud. cap. III. §. 23. p. 66. conf.* EYBEN. *c. l. vbi plura de origine vocis ligii* adducit. Subdiuidunt feudum *ligium in proprie & absolute* tale, quod nimirum solus Imperator potest concedere, *v.* STRVVIVS *c. l. n. 1.* seu quod a non recognoscente Superiorem in secularibus, subdito, a nullo hactenus feudum recognoscente, concessum; In quo omnino excipitur nemo, & in hac significatione feuda Imperii regulariter ligia esse, ex ITTERO *de feudis Imperii c. 2. §. 12.* adserit STRYK. *E. I. F. cap. 3. qu. 44. conf.* FVRSTNER. *de iure Supremat. cap. 26. seq.* *Cui absolute tali* opponunt *analogice* tale, quod *scil.* a Ducibus & similibus, analogam quandam Maiestatem habentibus, constituitur ita, vt contra omnes, excepto solo Imperatore, fidelitas exhibeatur. *v.* ROSENTHAL. *c. 11. concl. 3.*



ANTON. *de feud. I. tb. 3.* Sicuti vero diſtinctionem prolatam adſerentes, omnes *ad II. f. 99.* confugiunt, quo feudi *ligii* fit mentio, quem textum vt tripodem adorant; Sic probe etiam defendentibus animaduertendum, teſte CRANZIO, Italis *ligium* idem fuiſſe, quod Longobardis *Vaſſum*. Myſterium, quod ex eodem textu euoluere conantur, nempe, *ligium hominem duorum eſſe non poſſe*, infringitur. Nam & in aliis feudis, quae communiter a ligiis diſtinguntur, in Imperio noſtro, quicquid etiam in Gallia obtineat, neminem ſimul circa vnam eandemque rem duorum poſſe eſſe Vaſallum, vſu probatum eſt. Homo enim Hominis tui, non dicitur tuus homo, *v.* KNICHEN *de Veſtiturar. paction. P. II. c. V. n. 106.* Si itaque dicendum quod res eſt, diuiſio feudi *in ligium & non ligium*, ſolido fundamento non nititur, nec iuri feudali conformis eſt; *Ad II. feud. 99.* tanquam commune aſylum, reſpondetur: Capitulum hocce, id quod nemo inficias ire poterit, non tantum eſſe extraordinarium, ſed, nec ſequi: *Ligium* habere oppoſitam ſpeciem; Eſt potius epitheton omnis feudi, non ſecus, ac homo *rationalis* vel *riſibilis*; *v.* BEYER *poſit. iur. feud. c. 11. poſ. 94. lit. K. p. m. 24.* Docendi gratia igitur videtur introducta, vt propterea etiam a LVDWELLO *de feudis p. 58.* Magiſtralis vocetur, qui etiam dictam defendit diuiſionem, ſtatuens, quamuis *cap. 99. II. feud.* eſſet extraordinarium, nihilominus tamen, cum ordinariis non aduerſetur, recte pro confirmatione & declaratione eorum, quae in ordinariis paulo obſcurius tradita ſunt, adlegari poſſe; Quia vero ex formula iuramenti, quod praeſtare tenetur omnis Vaſallus, & *II. feud. 7.* ſic praeſcribitur: *Ego Titius Tibi Caio Domino meo iuro, quod ero fidelis contra omnem hominem, excepto Imperatore vel Rege*, ſatis adparet, quemlibet vaſallum iurare fidelitatem nullo excepto, vel antepoſito, ſubſcriberem potius HOTOMANNO diſſentienti a LVDWELLO. Idem cum illo ſtatuit ISERNIA *cap. I. n. 6. de nou. form. fidel.* quia feudum ligium ſemper & vbique *ſuperiorem* & antiquiorem

Domi-



Dominum eximit; Quinimo FRIDERICVS conſtituit, vt in ſacramento fidelitatis *Imperator* nominatim excipiatur, *v. II. feud. 55. in fin.* adeo, vt ſuperior prohibere poſſit, ne Vaſallus conſtituat ſe *ligium* alterius, *v.* IO. ANTON. LANARIVS, *conſil. 20. n. 11. conf.* SAISON *in conſuetud. Turon. Tit. 12. art. 1.* verb. *Comment. l'on doit &c. gloſſ. 2. concl. 23.* verſ. *nunc quia.* Certo certius quippe eſt in omni iuramento Imperatorem *nominatim* excipiendum eſſe, &; ſi nominatim non excipiatur, exceptus tamen tacite intelligitur, cum Imperator emineat ſuper omnes, tanquam ſtella matutina in medio nebulae meridionalis, *vti loquitur* BALDVS *ad II. feud. 55. §. fin.* & ſit Romani Imperii caput. *v.* HEIG. *P. I. qu. 2. n. 21. ſeq.* & ANT. KNICHEN, *de Saxon. non prouoc. iure.* verb. *Ducum Saxoniae, c. 1. a num. 1. usque ad n. 39.* Excipitur itaque in omni iuramento *Imperator* vel *expreſſe* vel *tacite*; Excipitur etiam parili modo *antiquior* ſeu *prior* Dominus, *v. g.* Si Princeps feudo inueſtiat ſubditum ſuum, huic vero deinde ab alio Principe feudum concedatur; Quaeritur qua formula fidelitas ſit praeſtanda? Et reſpondetur, ita vt promittatur quidem fidelitas contra omnes, *excepto tamen antiquiore Domino.* Non obſtat, pacta poſteriora derogare prioribus; Reſpondetur enim hoc verum eſſe, & procedere in pactorum, nullatenus vero in iuramentorum materia; Iuramenta enim priora derogant poſterioribus, & in concurſu duorum iuramentorum, poſteriori per prius ſemper praeiudicatur. *v. c. 26. & 33. X. de iureiurand.* quia ſemel tantum quis animam ſuam obligare poteſt. Ius autem alteri ex primo iuramento quaeſitum, ipſo inuito inuerti nequit, cum nemo animam ſuam ad contraria obligare valeat. Ceterum quibus adhuc arridet adducta diuiſio, ad feudum ligium *quatuor* requirunt: 1) vt illud concedens Superiorem non agnoſcat, 2) vt, qui accipit eiusmodi feudum, non alium recognoſcat niſi eum, a quo illud conceſſum habet: Si enim Superiorem alium gradu dignitatis eodem agnoſcat,

 non



non poteſt huic omnem facere fidelitatem, 3) vt in inueſtitura ſeu conceſſione nominatim & diſertis verbis, *id feudum ligium eſſe*, exprimatur; Quod quamuis non ſemper neceſſarium adfirmet SCHRADER *de feud. P. II. c. 4. n. 2.* attamen hoc ſubſtantiale cum communi Dd. ſchola tutius retinendum alii exiſtimant. 4) Vt Vaſallus principaliter perſonam & conſequenter omnia ſua bona (*niſi ab alio ea in feudum teneat*) poteſtati & iurisdictioni domini ſui ligii ſubiiciat; Quod vltimum ratione non carere cum IASONE, CVRTIO & aliis ſtatuit SCHRADER *c. l. n. 1.* quamuis haud pauci diſſentiant, *v. omn.* GOTHOFREDI ANTONII *Ius feudale, diſp. I. §. 3.* ibique STRYK. *in not. lit. f. p. m. 24. ſeq.* Ex dictis, hominem ligium, non vno modo accipi, adparebit; Triplex autem illius ſignificatio notari meretur: *Scil.* 1) *abſolute* pro eo ponitur, qui Principi ſummo ſe obligat totum, hocque vel ratione ſubiectionis & feudi ſimul, vel alterius. 2) Sumitur *reſpectiue*, quando nimirum quis pro feudo Principi inferiori ſe in ſolidum obligat atque obſtringit, ita tamen vt Superior ſit exemtus. 3) Abuſiue accipitur pro eo, qui Domino etiam priuato arctius quam ceteri eſt obſtrictus. Longius excurrere & chartae anguſtia & inſtituti ratio non permittit; Vt enim paucis adhuc indicem cuius rei gratia haec praemiſi, reſtat: Edidi *ſcil.* huc vsque XXIII. quibus lectiones meas priuatas intimaui, de variis materiis Programmata; diſtractis vero exemplaribus, *Magnifici ICtorum Ordinis* auctoritate atque conſenſu, vtile viſum fuit, priora X. ſubinde aucta, praeprimis autem a *Nobilisſimis Dnn. Reſpondentibus* variis Corollariis adiectis, per modum publicae Diſputationis proponere, fiet hoc in Auditorio noſtro *Petrino* ab hora X. ad XII. diebus, antea ex valuis deſignandis. Viri iuuenes Nobiliſſimi, qui hactenus ſingulari induſtria ſolidori iurisprudentiae operam dederunt, interque priuatos parietes exercitio diſputatorio diligenter interfuerunt, nunc vero publice vires

 pericli-



periclitari conantur, sequentem, conuentione inter se, absque praeiudicio eruditionis & praerogatiuae, constituere ordinem: *Scil.* defendet

THEMA I. *An doctoralis dignitas filium liberet a patria potestate?*

DN. IO. GOTTLOB TEVBNER, *Hayna-Martisb.*

II. *De protestatione facto contraria.*

DN. CAROL. FRIDER. ZIMMERMANN, *Dresd.*

III. *De Clausula:* Was Erd- Wand- Band- Mauer- Wied- Nieth- Nagel- und Schrauben- feste ist.

DN. CHRISTIAN. ELIAS BERGMANN, *Görl. Lusat.*

IV. *De Exceptione litis ingressum impediente.*

DN. IO. HENRICVS STEINBERGER, *Schlaiza-Var.*

V. *An vxor, quae consentit marito testanti, portioni statutariae sine curatore renunciare possit?*

DN. CHRISTIAN. EHRENFRIED ADOLPH FRITSCHE, *Lucc. Lusat.*

VI. *De vsu brocardici: Omne, quod solo inaedificatur, solo cedit.*

DN. ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER, *Lipsiens.* N. P. C.

VII. *Mutuum adhuc hodie esse gratuitum.*

DN. CHRISTIAN. FRIDER. ANDERS, *Zitt. Lusat.*

VIII. *De Mennonistarum circa iusiurandum superstitione.*

DN. IO. VILLELMVS SIXTIVS, *Zittau-Lus.*

IX. *Iuramentum in caussis matrimonialibus recte, etiam negatiue deferri.*

DN. CHRISTOPH. FRIDER. KIRCHNER, *Ileb. Misn.*

X. *Paradoxa quaedam iuris canonici.*

DN. Gotthilff Traugott Scheffler, *Görl. Lusat.*

Singuli



Singuli recensiti, eruditione ac morum elegantia vere Nobilissimi iuuenes, dicta Themata, sub meo qualiquali moderamine, & respondendo & opponendo, obseruatis regulis bonae disputationis, publice ventilabunt; Curabo enim diligenter, vt finis cuiuslibet disputationis, veritatis nimirum indagatio, semper obseruetur, & Auditores, quantum fieri potest, certi dimittantur; Et quia optime notum, inter opponentes praeprimis, dari aliquando *Thrasones*, qui clamoribus fortes, verbis duri & multi, sed iudicio pauperes iuueniuntur, (*sunt verba Ill.* BOEHMERI, *in manuductione ad methodum disputandi &c. Th. II. p.m. 5.*) cauebo, ne inutilia, ad rem non pertinentia, nec quisquiliae proferantur, multo minus vt saltim cachinnus a disputantibus moueatur, permittam; In more enim nonnullis positum est, vt id, quod deest argumentis, quae haud raro admodum inermia deprehenduntur, ridiculosis gestibus, verbis iniuriosis, clamore ac risu &c. suppleant, vt disputatio in comoediam mutata videatur. Quia vero haec & similia cordatum disputatorem non decent, a nostro etiam instituto procul abesse debent. Vos ergo *Generosi* ac *Nobilissimi* Iurium Cultores, qui nominatis meis *Dnn. Respondentibus* & mihi bene cupitis, beneuolentiam, qua hactenus nos prosecuti fuistis, frequenti praesentia vestra vlterius demonstrare, intermittere nolite, hoc enim ipso, actui nostro disputatorio ornamentum insigne conciliabitis, & calcar currentibus addetur.

P. P. Lipsiae e Musaeo, die 21. Iunii, A. R. S.

CIƆ IƆCC XXXIV.



